

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis


Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

prius foris in tugurio ligneo & humili. Eodem anno incorporata est hæc Domus ordini Cisterciensi & commendata Abbati novi castri. Eodem anno dedicatum est majus Altare, a Domino Henrico Argentinenfi Episcopo dicto. de Staheleke: ipso Die dedicationis Hermannus Marchio de Baden exhumatus de loco, quo jacebat, sepultus est in choro ante Altare.



CXVII.

HERMANNI ET RUDOLPHI FRATRUM, MARCHIONUM BADENSIVM, LITERÆ DONATIONIS FACTÆ MONASTERIO LUCIDÆ VALLIS.

ANNO MCCXLV.

Ex Archivo Badensi.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. HERMANNUS & RUDOLPHUS fratres D. G. *Marchiones de Baden* Spirensis Diœcesis universis, ad quos præfens cedula pervenerit, salutem in Christo Jesu. Quod humanæ voluntates, ex diversis causis plerumque variantur, operæ pretium est, ut ea, quæ ad laudem & honorem omnipotentis Dei deputantur, tam literali cautione quam privilegiorum munimine fulciantur. Noverint igitur tam præsentibus quam futuri,

quod

quod cum Princeps illustris HERMANNUS, pater noster, *Marchio de Baden*, divina ordinante providentia viam universæ carnis esset egressus & ejus relicta *Irmengardis*, Domina ac mater nostra saniori usa consilio ob remedium animæ dicti Marchionis & remissionem peccatorum dictæ *Irmengardis* nostrique memoriam in posterum celebrandam apud *Buere* prope Baden ædificare cœpisset claustrum Dominarum ad ipsius operis consummationem nec personarum ibidem Deo fervientium ejus suppetere facultates; nos usi consilio salubri hæc bona, videlicet jura patronatus Ecclesiarum in Ettligen & Baden (i. e. tertia pars) decimam, quæ nobis cadit in Ifftsheim, villas Winden & Buere cum omnibus atinentiis, duas curias in Osse & unam in Eberstein, duodecim libras Argentinensis monetæ de censibus nostris in Selzen solito persolvendis, in dictam matrem nostram transferimus nostra libertate possidenda plenam dantes eidem potestatem, ut eadem bona ad usum dicti monasterii sine difficultate cujuslibet & contradictione &c.

Testes hujus rei sunt viri discreti: Præpositus omnium SS. Argentinensis Diœcesis, plebani in Ettligen & in Winsheim, sc. Sigismundus & Wenzelo, Conradus notarius noster, Albertus miles de Liebenstein, Burchardus & Henricus Rodarij de Iberc, Sigismundus & Rudolphus Dapiferi nostri, Erlewinus Scultetus de Pforzheim & Cuno miles. Ut autem prænotata robur obtineant firmitatis, præsentem litteras, sigillo patris nostri munitas, cum adhuc propria sigilla non habeamus; dilectæ dominæ nostræ & matri damus reservandas. Acta sunt hæc anno Domini MCCXLV. mense Martio.

Cod. Dipl.

D d